

# AD ILLVSTREM GALEATIVM

GONZAGAM ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.



UPERIORIBVS MENSIBVS Galeati illustris, quum tu qui & nouarum & pulcherrimarum rerum semper es cupidus, earumq; praesertim quae ad rem literariam spectant, de his lectionibus mecum ageres, quas publici lectores tunc passim in Ferrariensi gymnasio profitebantur, de scholasticorum frequentia interrogasti. Nos uero id tibi reddidimus, magnam quidem numero non esse frequentiam, sed talem, ut merito cum omni alia amplissima & confertissima turba conferri possit, & concertare, ut de ijs Vergilianum illud dici possit:

Pauci numero, sed uiuida uirtus.

Quum uero in praesentiarum primum hoc nostrorum laborum onus, in tuae illustris doctrinae gratiam inscribendum pararem, ut tuo titulo decoratum feliciter in publicum exeat, id nobis succurrat quod tunc tam sedule percontabam, nunc cumulatius explicare. Propterea uisum est non ab re fore, si omnes quot quales ue fuerint auditores nostri, recensere studeamus, qui his nostris Aphorismorum lectionibus interfuere: inter quos nonnulli a principio in finem usque, omnia hausere quaecumq; in his nostris lucubrationsibus scripta sunt: alij, aliquibus libris interfuere: quidam pluribus aphorismis; inter quos plexosque adeo profecisse constat, ut iamam diuinam hanc artem uel celebriter profiteantur, uel feliciter exercent. Nullus uero est, qui non norit Hippolytum Constabilem, & Franciscum Brusantinum Ferrarienses, tum ex publica professione, tum ex medendi diatriba; nam & sacra naturalis philosophiae arcana publice profitentur, & medicam artem egregie exercent. De te uero quid dicam Maureli Sancte, qui quum publice obliquos dialecticae gyros profitebaris, citra omnem ambiguitatem palmam ferebas. Nunc apud reuerendissimum Hippolytum Cardinalem Ferrariensem artem medicam adeo prudenter exerces, ut multos homines a morte uendicasse liqueat. Huc accedant tres illi noui municipes nostri, Ioannes Franciscus Rubeus Mediolanensis chirurgus, qui publice proficitur, & in ea arte Chironi centauro non cedit; Ioannes Leo Dorzanus Vercellensis, acriter iudicio uir; & Philippus Parthenius Saxellus Nouocomensis, non minus doctrina, quam pietate insignis. Proh pudor duos illos Ferrarienses argumentandi & respondendi fulgura, incuria praetermiseram, Caesar Caprili, & Marcus Antonius Florius, quorum disputationes & publicae lectiones, eos omni encomio dignos faciunt. Tuq; cum his accedas Ioannes Beccharie chirurgus cum quouis antiquorum conferende. Non minori laude digni sunt Franciscus Seuerus Argentinus, Camillus Grilinzonus Carpensis, Hercules Papazonus Miradulanus, Nicolaus Viadanensis, Troilus Cabeus, qui nostri huius almi gymnasij ductor quandoq; fuit, & noster Nicolaus Crotus Laudensis, Cassianus Armanascus Nouocomensis, Nicolaus Giringellus Vitellianensis, Stephanus Burgus Mutilianensis, Nicolaus Chizola Brixiensis, Iacobus Turinensis: Henricus, Iacobus, & Federicus Germani: Augustinus Riccius nobilis Lucensis. Hi omnes summo cum decore artem hanc diuinam & scite, & prudenter exercent. Cur & tu non accedis Ioannes Bacchanelle Regiensis? nam & si corpore pusillus sis, animae uiribus plurimum praestas. Et noster Ioannes Sinapius Germanus, uir utraque literatura grauissimus, & huius artis professor acerrimus, pedem huc conferat. Neque silentio praeterendus est insignis philosophus Gaspar Cabriellus nobilis Patauinus, qui naturalem philosophiam ex Graeca academia publice proficitur. Cur latitas mi Georgi de Ortona Cretensis? accedas huc utraque lingua disertissime, & medica professione expertissime. Hi omnes quos hoc catalogo enumerauimus, Galeati doctissime, iam summum illud culmen & fastigium doctoratus (ut inquit) suis amplissimis uirtutibus acquisiuerunt. Non desuere & alij plures, qui his nostris lectionibus interfuere, tamen laurea corona ornari nondum uoluerunt: inter quos unus est Vincentius Lancettus Casenas, iuuenis mira ingenij dexteritate praeditus: Iacobus Romandiolus noster, Ferrariensis; Alexander a ciconia, chirurgus: Ioannes Agrigen

## AD GALEATIVM GONZAGAM

Agrigentinus Siculus, & noster Sanctus de Sanctis Recanatensis, quem bonarum li-  
 terarum columnen futurum esse speramus. Nec hi iuuenes prætermittendi sunt, digni ut  
 immortalitate donentur, tanto ingenij splendore pollent, Cæsar Bezecharinus Pisau-  
 rensis, Petrus Pergulensis, Ioannes Baptista Sufius Mirandulanus, Camillus Pontre-  
 molensis, Gaspar Herminius Tridentinus, Stephanus Crassus Brixianus, Hierony-  
 mus Gratianus Cotignolensis, Cæsar Forosempronienſis, Iulius Genuensis, Matthæus  
 Mediolanensis, Archangelus Vtinenſis, Petrus Cabriellus Patavinus, & noster domi-  
 nus Ioannes Gallus presbyter, ossium reparator egregius. Accedatis & uos duo Cana-  
 ni, Iacobe & Ioannes Baptista, iuuenes cum quibusuis nostra ætate in hac arte conse-  
 rendi. In eodemq; comitatu accedat & Hieronymus Aldigerius. Doleo tamen, atq; ue-  
 hemēter discrucior, familiaria negotia adeo rem medicam defraudasse, ut Ludouicum  
 Paulucium, & Antonium Mariam Montaclesium Ferrarienses, post tot uigilias, post  
 tot perpeſſos in his euoluendis Aphorismis labores, abduxerint, & medio fere in cursu  
 reppererint. Duo præterea illi Hieronymi in hunc ordinē ueniant, Canabatius unus,  
 alter à Tabula Ferrarienses. Cæterum nūquam te defraudabo Lazare Frisce Hebræe,  
 sed ut Aphoristicis lectionibus interfuiſti, ita ab hoc catalogo non repellaris. Hi sunt  
 Galeati illustres, quos potui in memoriam reuocare, ex his qui publicas nostras scho-  
 las frequentarunt, qui & si pauci numero sint, tamen sunt omni uirtutum genere cum-  
 latissimi. Nunc uerò quum nostros hos labores sub Britannia Regis auspicio in publi-  
 cum ædituri simus, uisum est nobis, tibi uiro doctissimo, & qui omni uirtutum genere  
 splendes, & quem summè colo & obseruo, primum laborem dono mittere, uti illi  
 à quo auram aliquam, & eam non mediocrem captabit: simulq; noscat,  
 non multos quidem fuisse Aphorismorum auditores, sed inge-  
 nio præditos, & qui tum sua industria, tum nostra as-  
 siduitate magnos in re medica pro-  
 gressus perfecerint.  
 Vale.